


sint oportet, ita, ut ex his animalia gignantur; nam ex imperfecto nullum. Non extra fiunt, sed intra: quoniam frigida sunt; quod testatur Aristoteles lib. 1. cap. de Historia animalium; quo fit, ut vulva Viperæ sit similis Cartilagineorum piscium vulvis. Plinius, qui Aristotelem est sequutus, hunc in modum tradit: Vipera sola intra se ova retinet, & tertia die intra uterus catulos parit; deinde excludit; reliqua serpentia contexta ova in terra incubant, & fœtum anno sequenti cubando expediunt. Est igitur communis approbatio apud Philosophos & Medicos, solam Viperam ex omni serpentum genere è corpore animal edere; quamquam aliqui secus sentire videntur, quibus inferius respondere decrevimus. Quid igitur sit Vipera ex descriptione, & diffinitione clare unicuique patet.



*COGNITA FORMARUM  
differentia quæ superius explicata fuit, ne-  
cessariò confirmanda est ob quosdam  
pertinacis obstinationis in hoc or-  
be aliter statuentes.*

C A P. III.

Posit